

## SIGHT-READING I: SAMPLE MA PASSAGE

### GANALON ACCUSES ROLAND OF CRYING WOLF (PSEUDO-TURPIN)

Deinde tuba sua cepit altis sonis tonitruare, si forte aliqui ex Christianis, qui per nemora timore Sarracenorum latitabant, ad se venirent, vel si illi, qui portus iam transierant, forte ad se redirent suoque funeri adessent, spatamque suam et equum acciperent et Sarracenos persequerentur. Tunc tanta virtute tuba sua insonuit, quod flatu oris eius tuba per medium scissa et vene colli eius et nervi rupti fuisse feruntur. Cuius vox usque ad aures Karoli, qui in valle, que Karoli dicitur, cum exercitu suo tentoria fixerat, loco scilicet, qui distabat a Rotholandio octo miliariis versus Gasconiam, angelico ductu pervenit. Illico Karolus voluit ad eum latus auxilium redire, sed Ganalonus, passionis Rotholandii conscius, dixit ei: “Noli, domine mi rex, retro redire, quia Rotholandus cotidie pro minimo solet tubicinare. Scias, quia nunc auxilio tuo non indiget, sed venandi studio aliquam feram persequens per nemora discurrit.” O subdola consilia Iude proditoris traditioni comparanda!